

1.3.49

*Idem A. Iohanni pp.*

Cum lege Leoniana viris reverentissimis episcopis et presbyteris et diaconis peculium habere quasi castrense concessum est, eo addito, ut in ipso testari possint, dubitabatur, si huiusmodi testamenta debent de inofficiosi querella expugnari, cum de omnibus personis, quae huiusmodi peculia meruerunt, eadem fuerat quaestio exorta.

1 ¶ Sancimus itaque viris reverentissimis episcopis et presbyteris et diaconis, qui tale peculium (id est quasi castrense) possident, super hia tantummodo rebus, quae quasi castrensis peculii sunt, non solum ultima condere secundum leges tamen elogia licere, quod ex Leoniana constitutione descendit, sed. etiam eorum ultimas voluntates, super his tantummodo habitas, de inofficiosi querellae minime subiacere.

*D. k. Sept. Constantinopoli post cons. Lampadii et Orestae.*

[a. 531]

1.3.50

*Idem A. Iohanni pp.*

Si quis in conscribendo instrumento sese confessus fuerit non usurum fori praescriptione propter sacerdotii praerogativam, sancimus non licere ei adversus sua pacta venire et contrahentes decipere, cum regula est iuris antiqui omnes licentiam habere his quae pro se introducta sunt renuntiare.

1 ¶ Quam generalem legem in omnibus casibus obtinere sancimus, qui necdum per iudicalem sententiam vel amicalem conventionem sopiti sunt.

*D. k. Sept. Constantinopoli post cons. Lampadii et Orestae vv. cc.*

[a. 531]